

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Nobilitas I cum fonte primo

Stagnum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stagnum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri quam de claro genere contemptibilem nasci.

Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est eius solius, sed communis uidetur;

qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius solius est;

qui uero de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitude contemptibilitatis solius eius non est, sed etiam generis;

qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitude illius est eius solius.

Ideo melius est
ut in te glorientur parentes

quam tu in parentibus glorieris.

Crisostomus ibidem (super illud Matthei III.: Patrem habemus Abraham).

Et

stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum collatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci.

Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est eius solius, sed communis uidetur cum genere.

Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius, eius solius est.

Item, qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitude contemptibilitatis illius non eius solius, sed etiam generis eius.

Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitude illius, eius solius est.

Ideo melius est,
ut in te glorientur parentes,
qui talem filium habent,
quam tu glorieris in parentibus.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaem*, 3 (PG 56, col.651).